DE SYCE▸ CAP▸ CCLXXXVIII▸

NOMINA.

Ficus. ΣΥΚΗ ἥμερος Græcis, Ficus ſatiua Latinis & officinis, Germanis Feigenbaum dicitur.

FORMA.

Ficus ſatiua arbor eſt non magnopere procera, quanquã ampliſsimæ quædam inueniantur, uel pyris æmula magnitudine, caudice breui, cortice leui, medulla carnoſa, folio perquam magno umbroſoq́, profundè admodũ laciniato, ſine flore, pomo quod ſupra foliȝ pediculũ naſcitur, tubinato, molli, intus granoſo, ſucco cum matureſcit lacteo, poſtea melleo: radicibus multis, obliquis ac longis.

LOCVS.

Iam in pleriſqȝ Germaniæ noſtræ hortis plantatur, at in pauciſsimis fructus maturos producit. Calidiora & aprica loca amat: arbor enim omniũ ferè tenerrima & delicatiſsima, gelicidia & glacies horret.

TEMPVS.

Germinat ſub Arcturum poſt uer, aut paulò ante ſolſtitium.

TEMPERAMENTVM.

Ficus arbor calidæ temperaturæ eſt, tenuiumq́ȝ partiũ, ceu indicant tum liquor eius, tum foliorum ſuccus. Valenter enim eorum uterqȝ calidus eſt. Ficus quoque recentes & aridæ primo ordine completo calefaciunt, aut ſecundo incipiente: deſiccant uerò in medio primi.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Fici maturę, teneræ recentéſue ſtomacho noxiæ. Aluum ſoluunt, ſed facilè ab eis contracta fluxio ſiſtitur. Exanthemata & ſudores prouocant. Sitim ſedant, calorẽ
D reſtinguunt. Siccæ nutriunt, calefaciunt, ſitim magis afferunt, bonam faciunt aluum. Fluxionibus tamen ſtomachi & uentris inutiles: arteriæ uerò, ueſicæ & renibus utiles. Amicæ etiam iȝs quos longa ualetudo decolorauit, aſthmaticis, comitiali morbo laborantibus & hydropicis. Decoctæ cum Hyſſopo & potæ, quæ in thorace ſunt purgant. Veteri tuſsi, & diuturnis pulmonis affectibus proſunt. Aluum molliunt, tuſæ cum nitro & croco manducatæ. Decoctũ earum arteriæ & tonſillarum inflammationibus gargarizatu confert. Cum hordeacea farina cataplaſmati miſcetur, & in muliebria fomenta cum fœnogræco, aut ptiſana. Cum Ruta decoctæ, in torminibus infunduntur. Coctæ, tritæ illitæq́ȝ, duritias diſcutiunt, parotidas ac furunculos emolliunt. Panos maturant, maximè iride, nitro, aut calce addita. Crudæ cum antedictis tuſæ, eadem efficiunt. Cum malicorio, pterygia purgant. Cum atramento ſutorio difficiles curatu & maleficas tibiarum fluxiones ſanant. Quin cum uino decoctę, addito abſinthio & hordeacea farina, hydropicis illitæ auxiliantur. Crematæ & cerato cõmixtæ, perniones ſanant. Crudæ & tritæ ſinapi humido exceptæ, ac auribus impoſitæ, ſonitus & prurigines curant. Succus tam ſylueſtris quàm ſatiuę Fici, coaguli modo lac coagulat, concretumq́ȝ ut acetum diſſoluit. Exulcerat corpora, ac uenarum ora aperit. Soluit aluum. Verum laxat, cum Amygdala trita potus. Menſtrua ciet cum luteo oui appoſitus, aut tyrrhenica cera. Podagricorũ cataplaſmatis cum farina fœnigræci & aceto utilis. Lepras, lichenas, diſcolorem à ſole cutem, alphos, ſcabies, achoras, cum polenta expurgat. Inſtillatum plagæ percuſsis à ſcorpionibus, uenenatorũ ictibus, & rabioſi canis morſibus auxiliatur. Dentium doloribus lana exceptus prodeſt, & cauis eorum inditus. Myrmeciam tollit cum adipe circunlita in ambitu carne.

EX GALENO.

Fici arboris liquor, & ſuccus foliorũ eius non mordicat tantũ, aut abſterget uehementer, ſed & ulcerat, & ora uaſorũ reſerat, & myrmecias eȝcit. Verum & purgare poteſt.